



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Avgvstini Valerii, Veronensis Episcopi, De Rhetorica  
Ecclesiastica Libri III. Perqvam Ervditi**

**Valiero, Agostino**

**Coloniae, 1582**

Duplicam esse materiam huius artis: remotam, & proximam. Cap. III.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69050](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69050)

## LIBER PRIMVS.

ne, dicendo auditores in sui admirationem traheret, & tot animas concionibus suis Christo lucraretur; ea, quae dicebat, se reperire respondit in libello charitatis, in libello Spiritus sancti. Proxima causa efficiens, sunt labor & exercitatio. Forma in hoc est sita, ut aptè et congruenter dicatur ad populū; nam in scholis breuiter, acutè, & de rebus difficilibus agitur: ad populū verò copiosè, dilucidè, & de rebus in primis, ad vtilitatem animarum spectantibus, habendus est sermo, ita ut concionis forma, & eloquentia Christiana vis, ac summa omnium praeceptorum, quae tradimus, B. Augustini verbis sit describenda, ut orator Ecclesiasticus ita dicat, ut intelligenter, obedienter, & libenter audiatur. De materia agamus.

Duplicem esse materiam huius artis: remotam, & proximam.

## Cap. IIII.

**M**ATERIA Ecclesiastico oratori subiecta, duplex est: remota, & proxima; remota continet omnia, quae scripta sunt, ita ut quidquid ex philosophis, poetis, historicis, oratoribus, ex omni scriptorum genere excerpi potest, ad vtilitatem populi; id totum Ecclesiastico oratori, tanquam proprium, ab alijs vsurpatum, subiiciatur. proxima verò materia, tribus dicendi generibus comprehendendi potest, Deliberatiuo, Demonstratiuo, & Iudiciali. Deliberatiuum genus est, quod in suafione & dissuafione versatur: cuius finis est vtile. Demonstratiuum, quod in laudatione et vituperatione est positum: cuius finis est honestum. Iudiciale, in accusatione & defensione est situm: cuius finis est iustum. Vtile, ut B. scribit Ambrosius,

brofius, nihil est aliud, nisi quod confert ad vitam eternam. Honestum sic definimus, virtutis decorem, qui cum utilitate ita est coniunctus, vt separari nequeat. Iustitia, est constans perpetuaque voluntas tribuendi unicuique quod suum est: in hoc autem in primis sita est, vt agnoscat, et cali & terra dominus, innocentia remunerator, & scelerum vindex: eiusque precepta obseruentur. Quae omnia cum ad veram hominis felicitatem referantur; constat, fines, non perinde ac Rhetores, utilitatem ab honestate plerunque seiungentes, putauerunt, esse à nobis Christianis distinguendos.

Genus Deliberatiuum ad quinque capita referri posse. Cap. V.

**C**V M genus Deliberatiuum in bonorum suafione, et malorum dissuafione versetur: ad quae omnis Ecclesiastici oratoris labor, tanquam ad finem dirigitur, in hoc maxime studium & diligentiam ponat; vt à vitijs auocans populum Dei, ad veram pietatem, Christianasque omnes virtutes accendat atque inflammet. Ea verò, quae Ecclesiasticus orator populo suadere solet, ad quinque fortasse capita, facilius doctrinae causa, redigi possunt; ad credenda, ad speranda, ad timenda, ad vitanda, ad agenda: quibus capitibus vniuersa ferè Theologia, & tota Christianè viuendi ratio comprahenditur. Nos qui clericis scribimus, quaedam attingemus, quae ipsis aliquam propositiionum copiam possint suppeditare, perfectam eorum capitum tractationem omitentes: nè, actum à doctissimis Theologis, agamus; & scopi, quem nobis proposuimus, obliti esse videamur.

De